

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1867

Auteur(s) : Arnoul, Lisieux (évêque)

Bénéficiaire(s) : Célestin II [pape]

Genre d'acte : lettre

Authenticité : non suspect

Datation : [1143-1144, 8 mars]

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Lettre d'Arnoul, évêque de Lisieux, adressée au pape Célestin II sur l'église de Sées.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta ecclesiae Sagiensis, n° VIII, col. 162.

Dissertation critique

Célestin II, pape, 1143- 8 mars 1144.

Texte établi d'après a

Pro Sagiensi ecclesia tota mente pedibus vestrae pietatis advolvor, confidens de vobis in Domino, quia bonum, quod in illa per antecessores vestros, Deo auctore, fundatum est, vestro tempore non solvetur. Solvi autem necesse est, si inexperto regulam regula conservanda mandetur, si imperito agricolae credatur nova plantatio, si denique cuiquam alicujus rei magisterium credatur, cujus ille non attigit disciplinam: perniciose siquidem vinea propaganda committitur ei, cujus est studium potius extirpare. Unde etiamsi eum de quo agitur Girardum aliqua electionis forma defenderet, quia pro ecclesiis libertas electionum introducta est, liquet quia quod earum favore comparatum est, hoc ad earum laesionem retorqueri non debet. Retorquebitur autem, si electionis favor usque in detrimentum principalis causae processerit, si non quis, vel ad quid, sed qualiter electus sit attendatur; nec finis, aut utilitas operis, sed sola negotii series exquiratur. At vero quod hic electio nulla praecesserit, et verum est, et omnis ecclesia contestatur, praeter paucos, quos ad optandam secularem personam amor et desiderium secularitatis adduxit. Quorum primus adolescens et frater est, secundus ex familiari neophytus, tertius nescio qua sanguinis cognatione conjunctus, quartus claustrali disciplinae mancipatus a puero, imberbis adhuc et nihil sitiens penitus nisi mundum. Quos ille per furtivas literas studio fratris, persuasionibus et promissis illectos ad hoc schisma protraxit, ratus secure quidlibet adversus paupertatem ecclesiae praesumendum. Sperabat enim adversus reliquos omnia posse trium aut quatuor hujusmodi testium depositione probari; quoniam negantis factum per rerum naturam nulla est probatio, actori autem onus probationis incumbit. Sic opus illud primo quidem de ambitione conceptum est, exinde vero temeraria levitate promotum, ut ad extremum posset perjuriis consummari. Accessit etiam postmodum propter injuriam quam passus est, ex incommoditate fiducia, ad quam tamen si eum inconsulta protraxit ambitio, nec innocentibus imputandum est, nec in detrimentum ecclesiae convertendum. Porro in actores sceleris severitatis apostolicae vindicta procedat, personae vero quae laesa est, salva tamen indemnitate ecclesiae, consulatur, ut reis poena, laesis remedium, sua religioni justitia conservetur. Ceterum de eo quod factum est innocentiam suam multis

comes excusat, adeo ut auctores ipsos, licet ipsius se putaverint gratiam promereri, ecclesiastico permiserit arbitrio puniendos. Neve adversus libertatem ecclesiæ laborare credatur, universam ecclesiæ dispositionem archiepiscopi nostroque scilicet episcoporum consilio relaxavit. Ecce, Domine, in voluntate tua universa sunt posita, nec est qui possit tuæ resistere voluntati ; esto officii tui sedulus executor, ne personarum vel causæ merita confundantur, ut reos scilicet castigatio digna coerceat, læsos pia miseratio consoletur, regularis autem conventus accipiat patrem regulari institutione formatum, ne statuæ aureæ caput æneum tuo, quod absit, opificio dicatur affixum, et ubi ex privilegio prædecessorum archidiaconos seculares esse non licet, sententia tua creet episcopum secularem. Valeat in Christo sanctitas vestra.